SPECIMEN

EDITIONIS ARTIS POETICAE

Q. HORATII FLACCI

VERSVS XXIII EIVSDEM EPISTOLAE

VARIETATE LECTIONIS

ET

PERPETVO COMMENTARIO

INSTRVCTOS

AEQVO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIECIT

IO. GEORGIVS HENRIC. KLINDWORTH.





GOTTINGAE

IN LIBRARIA DIETERICHIANA

MDCCCXVI.

PRAEFATIO EDITORIS.

LECTORI

S.

Si verum est, quod omnes semper existimauere sapientes, vix vllum antiquitatis poetam reperiri, qui lectoris animum non ita moueat atque capiat, vt a vitio turpitudineque auocando morum prauitatem emendet et corrigat, et ad virtutem atque omnem humanitatem excitet atque inflammet; id praecipue in Horatium, qui inter Romanos poetas ob ingenii praestantis felicitatem, quam cum summo coniungit acumine, et ob gratissimam vrbanitatem spiritusque magnificentiam beatissimamque rerum verborumque copiam, et ob praecepta, quae ad vitam bene, honeste, feliciter agendam tradit saluberrima, praestare semper habitus est, cadere nemo dubitabit. Quinctiliani, viri studio litterarum clarissimi, de eo iudicium hic apponere iuuat: *Lyricorum*, dicit, *Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax* [1]). Quare merito praeclara

[1]) Inst. Orat. X, 1. Elegans vero iudicium et praeclaro Quinctiliani ingenio dignum! Nemo autem h. Quinctiliani sententiam melius et fusius explicuit, quam Chr. Ad. Klotzius in eleganti dissertatione: *De felici Horatii audacia*, Ienae 1762. 4. inserta eiusdem *Opusculis varii argumenti* p. 114 sq. contra quem libellum acriter

dum et ad mentem admiratione et voluptate perfundendam, sed etiam ad mores animosque eorum fingendos maximam vim habere creduntur.

Quae cum ita sint, nescio equidem, qua fati iniquitate factum sit, vt venustissima huius poetae ad Pisones epistola, quae vulgo DE ARTE POETICA inscribitur, cum recentissimis temporibus multos nacta sit interpretes, nec tamen in iis quemquam, qui in iuuenum studiosorum gratiam editionem adornauerit. Nam qui prioribus seculis illi contigerunt editores permulti, vt facile liber vel sola huius carminis enarranda historia litteraria impleri possit, aliam secuti rationem, iuuenum commodis prospicere non habuerunt propositum. Et vero etiam nouissimam, quam Cl. Schelle [2]), multiplici variaque instructus doctrina vir, notis criticis et exegeticis ornandam suscepit, scholasticae iuuentutis studio non esse destinatam; ipse in fine praefationis editioni praefixae affirmat [3]).

Quod quidem eo magis dolendum est, quod omnia in hoc praeclaro carmine ita tractata sunt, vt non tam doceri quam delectari animus se

cunditas sine arte, copia sine redundantia, sublimitas sine tumore. In sententiis est nobilis et magnus: in figuris iucundus modo, modo audax: in verbis aptis, magnis et quasi praegnantibus deligendis felicissimus."

[2]) *Q. Horatii Flacci de Arte Poetica liber. Praemissa disputatione de consilio, quod Horatius in condendo poemate suo secutus sit, edidit notisque criticis et exegeticis illustrauit* Carolus Gottl. Schelle. Lips. 1806.

[3]) Cuius viri docti verba sunt haec: " Restat, vt moneam, eam, quam in conscribendo libello meo secutus sum, rationem non iuuentuti esse aptatam, sed hominibus litteratis. Longe alia fuit, quam ipse sequerer in scholis meis."

sentiat, qua in re summa poeticae facultatis laus et ars est constituta. Exquisitum autem verborum dilectum sententiarumque leuem et audacem iuncturam dictionemque breuitate ac venustate insignem facile agnoscas, si ipsius carminis formam ac virtutes curatius introspicias. Tantum praeterea acumen tantamque facilitatem ingenii, iudiciique maturitatem prae se fert diuinum hoc carmen, vt non dubitemus cum Batteusio *legem rectae rationis sincerique de pulchro iudicii normam* appellare [4]).

[4]) In libro: *Les quatre poetiques d'Aristote, d'Horace, de Vida, de Despreaux.* à Paris 1771. T. I. Partie II. p. 1. Cf. Rollin *Hist. Ancienne* T. XII. p. m. 709. Placet hic adscribere locum Popii, (cf. ej. *Essay on Criticism.* vs. 654—662) quo laudem huius epistolae persequitur, lecturo, opinor, non iniucundum.

„Horace still charms, with graceful negligence,
„And without method talks us into sense,
„Will like a friend, familiarly convey
„The truest notions in the essiest way.
„He, who supreme in judgment, as in wit
„Might boldly censure, as he boldly writ,
„Yet judg'd with coolnefs tho' he sung with fire,
„His precepts teach, but what his works inspire."

Hinc et iniquus scriptorum veterum iudex Harduinus, (qui quatuor more suo fingit Horatios, primum antiquissimum et genuinum, qui Sermones scripserit et Epistolas; tres reliquos, recentes et suppositítios, quamvis eiusdem aeui: vnum, qui carmina scripserit, alterum, qui librum epodon; tertium, qui de Arte Poetica ad Pisones) pretium huius carminis aliquo modo sensisse videtur, cum hoc de eo poneret iudicium: „Tametsi „autem distat plurimum hoc „opus (epistola ad Pisones) „a vena ingenioque Horatii, „tamen longe superat dili„gentia et dicendi facultate „scriptores carminum et epo„don: aut si scripsisse idem „carmina existimandus est, „hic vicit se ipsum." Cf. ei. *animadv. critic. in Horatii op. in Op. variis.* Amstel. 1733 f. p. 362. Huius commenta acriter refutauit, schedis Saxii ad illum transmissis vsus, idem Klotzius in *Vindiciis Q. Horatii Flacci,*

Deesse igitur adhuc editio videtur adolescentum vsibus accommodata, in qua primum id agat editor, vt textum det emendatissimum, itaque non certi cuiusdam vel scripti vel editi libri auctoritatem secutus, ipse lectiones diligenter excutiat et quae tam linguae quam poetae ingenio maxime respondere videantur eas recipiat [5]): deinde id spectet, vt ad rerum verborumque interpretationem conuersus, non solum verborum ac sententiarum vim declaret, quoque magis orationis poeticae proprietatem totiusque carminis pulchritudinem et ornatum sensibus et oculis legentium subiiciat, ad vulgares enunciationes poetica reuocet, sed etiam quae ad mythologiam, historias et personas illius aetatis nobiles spectant, explicet et illustret: inprimisque, cum de consilio huius poematis nondum inter Viros doctos conueniat, sedulo sibi caueat ne opinione aliqua noua extrinsecus illata, res detorqueat et singulorum cohaerentiam turbet, denique vt et loca dictis Horatii simillima laudet (quod tamen non ita accipiendum vt poetam ea expressisse arbitremur, cum ex naturae simplicitate ac venustate, genuino vrbanitatis veritatisque colore, viuida rerum representatione, argumenti denique praestantia et eximia arte facile Horatium agnoscat) quo quantum sensus pulchri et venusti acuatur,

accedit Commentarius in *Carmina poetae.* Bremae 1764 et Huch in: *Versuch über die Verdienste des Archilochus um die Satire: mit einer Nachlese wider den Harduin.* Zerbst 1767.

[5]) Itaque vt omnium, qui a primariis Horatii editoribus collati sunt, codicum varietatem praecipuasque virorum doctorum coniecturas plenius atque accuratius exhibeat ac percenseat tali praecipiendum videtur editori. De qua ratione vid. Ill. Wolfium in *Prolegom. ad Homer* §. 1.

animusque noster ad elegantias poetices intelligendas formetur, vix est quod moneam; verbo, vt nihil omittat, quod iuuenibus, bonarum literarum studiosis, crucem figere possit.

Haec igitur est ratio, quam in conscribendo hoc specimine mihi proposui, propositamque pro ingenii tenuitate secutus sum. Tres enim sunt anni, ex quo assiduam Horatio operam nauaui; ex illo inde tempore non solum poemata nunquam de manibus posui, sed et fere omnes veteres optimae notae editiones, quas cum Bibliotheca nostra Academiae tum Guelpherbytana praeprimis autem Lipsiensis Senatoria in itinere mihi visae suppeditarunt, diligenter excussi et clarorum interpretum opera primum Scholiastarum Acr. et Porph. tum Achillis Statii, Dion. Lambini, Cruquii, Pet. Nannii, Rappolti, (cuius commentarium in Artem Poeticam, satis copiosum, multaque antiquitatis capita vberius exponentem huc vsque non ita, vt par erat, inspexisse video Intpp. Horatii) Dacerii, Bentleii, Cuninghamii, Sanadonii, Hurdii cum doctissimis Eschenburgii notis [6]), Wielandii, Engelii [7]), Haberfeldii [8]), Schellii [9])

[6]) *Q. H. F. Epistolae ad Pisones et Augustum, with an english commentary and notes. To which are added two dissertations. — The third edition.* By R. Hurd. Cambr. 1757 II Voll. 8. Postremum hic commentarius correctus et animaduersionibus nouis locupletatus (*The fifth Edition, corrected and enlarged, in three volumes,* London et Cambridge) prodiit 1776. 8. Germanice edidit elegantissimus Eschenburgius, Lips. 1772 II Voll. 8.

[7]) *Horazens Epistel an die Pisonen. Mit einem durchgängigen Commentar und Anmerkungen, herausgegeben von* Mich. Engel. Mainz 1791.

[8]) *Des Q. Horatius Fl. Briefe an den Augustus, Florus und die Pisonen, erläutert von* Joh. Friedr. Haberfeldt. Leipzig 1802.

[9]) De ei. opera Horatio impensa vid. supr. p. VII. n. 2.

aliorumque et interpretum et eorum, qui aliud agendo vel emendationibus vel locorum singulorum et difficiliorum explicationibus hoc carmen iuuare tentarunt, tractaui ita, vt quae ab iis bene siue ad criticam siue ad interpretationem in medium prolata essent, cum dilectu excerperem [10]),

[10]) Heynius in praef. ad Virgil. T. III. "Vtilissima, „*inquit*, haud dubie opera a viris doctis ponetur in hoc, vt plurium editionum bona, cum dilectu tamen prudenti et diligenti, in unam conferant, eaque bona nouis opibus, quas nostri in his litteris profectus, nostrae aetatis rationes postulare forte videntur, locupletent, quibus iterum alii singulas, quas conferre se posse putent, adcessiones adiiciant; vt, in molesta hac diuersarum editionum, quae singulae aliquantum bonae frugis habent, copia perveniatur aliquando eo, vt iis, quae ante hos ducentos vel centenos annos vsum forte habere poterant aliquem, nunc autem aut omnino habent nullum, aut saltem exiguum, spretis ac reiectis, vtilissima et optima quaeque in uno libro comprehensa habeamus. Nisi enim litterarum antiquarum studio hoc aut simili alia ratione subcurratur, qua resecentur inutilia et a nostri saeculi cultu ac genio aliena, adiiciantur autem ea, quae huic literarum luci, huic poetices et artium expolitioni, acumini philosophiae melioris et historiae subtilius tractatae, varietati et copiae doctrinae, consentanea sint; nisi minuantur porro sumtus in tot editiones, quas nisi omnes ad manus habueris, sapere non licet, inque tantum librorum auxiliarium adparatum faciendi; reuocentur vero Virorum doctorum studia ad certum ac definitum finem et vsum, constituanturque omnia sic, vt et iis capiendis par sit animus et vero etiam ceteris disciplinis percipiendis satis recte vacari possit: haec, inquam, nisi mature prouideantur, vereor, ne studium hoc graecarum et latinarum literarum in dies in maiorem contemtum adducatur a viris prudentibus, seu qui sibi prudentes videntur, qui omnia ad vitae vsum referre volunt, nec literis, nisi ex vtilitatis messe, quae cum ipsa satione statim coniuncta sit, pretium statuunt."

VI

vbi autem mihi a recta via aberrare viderentur, illud non tam afferrem, quam meam qualemcunque sequerer.

Ceterum ad textum poetae adiuuandum codicem, quem Bibliotheca Academiae seruat [11]),

[11]) Integram h. codicis a Gesnero non satis accurate descripti, recensionem hic dare iuuat. Fuerat olim societati sancti Mauri Rom., vt textus folium eius II testatur, in quo auersa parte conspiciuntur verba: *Ex lib. Cong. S. Mauri Romae.* Eleganter scriptus in bombycina charta et forma, quam octauam maiorem nominant, complectitur CLXXXII folia, numeris non distincta, quorum II prima vacua sunt, V penultima, quae excipiunt iterum II vacua, nil praeter loca quaedam communia exhibent vt *Deucalion et Pyrrha genus humanum repararunt lapidibus. — Omnes homines compositi sunt ex aĩo et corpore* — hoc titulo insignita: *Elegantissimi dicendi modi, è, multis auctoribus comparati.* Eadem manus et textum poetae scripsit et scholia, vt colligi potest ex litterarum *c. e. i. r. s. t.* ductibus, sed illa sibi non constans, nunc maiores nunc minores pingens litteras. Sunt eae praeter initiales versuum, quae alterne atrae et rubrae raro desunt, quamquam a vocibus ad quas pertinent, distinctae, minusculae Latinae non raris sed obuiis nec diuersis vocum compendiis. Loco ae et oe est vbique *e*; et *i* cum puncto. Vocum ordinandarum frequens neglectus. Distinctionis notae comparent punctum, duo puncta, comma et interrogationis signum. Scriptura admodum perspicua, etsi atramentum in fine bonum, initio et medio cod. temporis diuturnitate iam palluit. Codicis margini raro inter lineas adscriptae sunt glossae, quas Gesn. dicit saepe legi non posse. Sed hoc tantum ad folia XIV priora paululum lacerata spectat, in quibus litterae minutissimae valdeque pallidae et rasae eas lectu difficillimas reddunt; nam reliqua non lectu valde difficilia sunt. Quae tamen scholia rubrica scripta in Odis tantum obvia (in ceteris enim operibus raro) non magni sunt pretii. Praeter Scholia Odis passim quoque praefixa sunt argumenta, quae et nomina eorum ad quos Horatius scripsit cum metri designatione

quemque optimae plerumque notae iam a Gesnero in subsidium vocatum esse constat, excussi, quod recte a me exspectari poterat, cum varietatem lectionis ex hoc codice excerptam huic specimini subiungere apud me constituissem. Praeterea cum noua, quam adornare conabor recensio sine accurata plurimorum codicum collatione neutiquam perfici possit, e Bibliotheca Caesarea Vindobonensi per *Illustris* COMITIS DE LOBO, rerum omnium bonarum Fautoris, rari exempli liberalitatem et munificentiam nactus sum duorum codicum collationes, quarum alteram huic specimini subieci, alteram vero cum decem aliorum codicum collationibus, quas celeberrimorum humanissimorumque, quos aetas nostra tulit, Virorum beneuolentiae refero aliaque supellectile critica satis larga, nouae, quam adornare in animo est, huius carminis editioni addam.

Nunc e toto schedarum apparatu exhibemus specimen obseruationum et exegeticarum et cri-

continent pariterque ac Scholia rubrica scripta in Odis tantum conspiciuntur, cum in ceteris carminibus eorum loco tantum spatium ad ea discernenda sit relictum. Initio libri optime seruati docteque scripti collocatae sunt Odae, vbi legitur: *Q. Horatii Flacci Carminum Liber pr̄ ad Mecenatem* in fine: *Q. Horati Carminum Liber primus explicit: incipit Liber II.* Post Odas et librum Epodon sequitur statim Ars Poetica nulla inscriptione, quam excipiunt Epistolae, dein Sermones, qui librum claudunt, cuius ad calcem haec verba leguntur: *Ad vsum Petri de nigrono S. D.* (num Sacellani Diui?) *Stephani Herito* (haud dubie hereditario) *a Dominicho Cranie de Lenanto.* Quo anno sit exaratus non est certum iudicium, sed exeunte Saec. XV esse descriptum, litterarum ductus, ex bono exemplari, varietas lect. ex illo enotata clare ostendit.

ticarum in viginti priores huius epistolae versus, in quibus si qua Tibi Lector beneuole! displicuerint (et vereor, ne multa displiceant) ignoscas, quaeso, iuueni in his studiis tironi, et in viam me reducas sed secundum Ennianum illud: *Erranti comiter monstra viam.* Si vero et boni aliquid huic specimini inesse iudicaueris omninoque tenuem opellam probaueris, id quod ita fore confidere non ausim, sperare tamen licet, reliqua publici iuris faciam.

Antequam autem huic praefationi finem imponam, memoranda mihi est insignis Viri doctissimi *Wunderlichii*, praeceptoris de me meisque studiis meritissimi, benignitas, qua saepe animum mihi iam labantem confirmauit consiliisque suis fructuosissimis me iuuare non detrectavit. Dum viuam, gratissima eius memoria nunquam ex meo effluet animo.

Scripsi Gottingae M. Decembri MDCCCXV.

PARTICVLA

EPISTOLAE AD PISONES

CVM

COMMENTARIO.

AD PISONES.

Humano capiti ceruicem pictor equinam

V. 1 - 23. Exordium colore comico - satirico adumbratum. Poeta virtutem in Homero infra laudatam, quod auditorem ille in medias res non secus ac notas raperet, aemulatus, carminis initio colloquium cum Pisonibus continuare videtur. Cum autem credibile sit, multos Horatianae aetatis poetas in eligendis argumentis rebus miris studentes, carmina inaequalia pepigisse licentiaque poetarum fretos oeconomiam in componendis carminibus ita neglexisse, vt nec initium cum exitu apte cohaereret nec partes ad conuenientem sibi formam exhibere valerent, inde colligitur, cur Horatius principio epistolae, praeceptum omnium primum atque grauissimum ita posuerit, vt demonstraret, fabulam (μῦθον apud Aristot., qui Poet. c. VI, §. 8. ed. Hermann. notionem fabulae breuiter sic definiit: λέγω γὰρ μῦθον τοῦτο, τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων) tum esse recte confictam, si sua illi vnitas constaret (μέγιστον δ' ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις. Idem l. l. §. 12.) h. e. cum partes ita inter se aptae coniunctaeque comparerent, vt ad vnum omnes consilium tenderent, vt vnum argumentum, vnam formam complecterentur. Hanc sententiam quomodo poeta enunciauerit, videamus. Vulgare: eae partes esse debent, quae bene cohaerere possint, exemplo declaratur e contrariis et quidem hoc: Si quis pictor talem pingat imaginem, quae caput habeat virginis formosae, ceruicem equi, reliqua membra ex diuersis animalibus, iisque membris etiam imponat plumas auium, inferior autem pars sit cauda marinae belluae, hoc monstrum aeque ridiculum sit ac carmen, cuius oeconomia ita neglecta sit, vt initium cum exitu non apte cohaereat. Imaginis exhibitae iam ante Flaccum

Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne;

varia oratio, *varii mores*, *varia fortuna*; *voluptas etiam varia dici solet*, *cum percipitur ex multis dissimilibus rebus*, *dissimiliter efficientibus voluptates.* — *inducere*, verbum de coloribus frequenter dictum; idem est ac: obducere, tegere, vt recte iam docuit Haberf. Sic legitur apud Ouid. Met. I, 263. II, 307. IX, 391. X, 271. XI, 498. Plin. H. N. XXIV, 33, (8) Tom. VII. p. 524. ed. Franz. XXXIII, 40, (7) Tom. IX. p. 143. XXXV, 26, (6) Tom. IX. p. 425. Vitruv. VII, 3. Iustin. XXI, 6. Male argutantur Intpp. in hoc vocabulo, illam significationem, quippe quae monstri deformitatem abscunderet, ab h. l. alienam contendentes, cum nil sit nisi *ingerere*, *adducere*, *imponere*. Idem in hoc loco iam ostenderat Bentleium. Cf. Obss. l. l. Qui omnes si plumarum ornatum ad vocem *membris* h. e. corpori retulissent, vocabulo *inducere*, sensum non subiecissent, qui vere non inest. Nam illud *vndique* certe non obstat. Nonne enim e. g. in illo imagine propositae costae equorum, quamuis plumis obductae, videri tamen poterant? *Collatis*, congestis. Cf. Obss. p. 23. *vndique*, passim h. ex omnibus animalibus. *vt* pro: ita vt, eo modo vt *formos. sup.* quod spectat ad *hum. cap.*, quatenus pictor faciem eius et comas formosas i. e. pulchras exhibuerat. Id vel antitheta *piscis turpiter ater* et *mul. form. sup.* postulant. Non igitur *formosa* cum Regelsb. de ornatu et cultu mulieris intelligam, quo sensu dixit Virgil. Ecl. V, 88.

At tu sume pedum, quod,
me cum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes, et erat
tum dignus amari,
Formosum paribus nodis
atque aere Menalca.

desinat, finiatur. Simili modo Virgil Aen. X, 211. — *in turpiter atrum piscem.* Ita verba iungenda. Nam vox *turpiter* non iungi debet sequenti *desinat*, quoniam *mul. formos. sup. et piscis turpiter ater* sibi respondent. Simili modo Noster Ep. I, 3, 22. dixit *ingenium turpiter hirtum.* Et iuuat positura verborum. *ater.* epitheton a natura rei petitum, (nam pisces permulti sunt atri coloris) proprie differt a nigro, sicut albus a candido; h. l. est colore seu specie foedus. *turpiter* notionem deformitatis auget, adeoque turpissimus. Nam *turpis* notat deformis, vt ap. Martial. I, 105. Cic. Off. I, 35. Alii laudantes Virgil. Ge. III, 51:

Spectatum admissi risum teneatis? Amici,
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum

———— Optuma toruae
Forma bouis, cui *turpe* caput, cui plurima ceruix.

IV, 395:

Armenta et *turpis* pascit sub gurgite phocas.

IV, 407:

Fiet enim subito sus horridus *atra*que tigris.

(vbi Serv. in duobus prioribus locis *turpe:* magnum exponit et ater: horribilis. Sed vid. ibi Heyn.) haec verba: *turpiter ater* explicant: magnitudine horribilis. Sed neque illo loco Virgil. Ge. IV, 395. opus est a communi recedere significatione (nam et Ouid. Met. I, 300. *phocas deformes* dixit) neque nostro; quippe qui ob antitheton, illam interpretationem plane respuat.

V. 5. *Spectatum admissi risum teneatis?* Solebant pictores et scalptores apud veteres picturas et statuas a se factas publicae censurae subiicere, vt iudicia hominum de se experirentur.

V. 6 — 9. *Pisones*, intell. L. Calpurnium Pisonem eiusque filios. Horum familia (a *pisorum* satione sic dicta vt Cicerones a cicere, Fabii a faba, Lentuli a lente de quibus vid. Wieland. Vit. Cic. p. 3. Sed Plin. Hist. Nat. XVIII, 3. Tom. VI. p. 12. et Saleius Bassus in Wernsdorf Poett. min. Tom. IV. P. I. p. 240. *Pisonem* ducunt a *pisendo*) Romae nobilissima, e Calpurniorum gente fuit, quae a Numa Pompilio descendit. Hinc Pisones infra vs. 292. vocantur *Pompilius sanguis.* Calpus enim Numae filius fuit, vnde Calpurnii dicti. Cf. Plutarch. in Num. c. 21. Pater (nam de filiis nil constat, nisi quod haec epistola suppeditat) erat L. Calpurnius Piso natus a. V. c. 704, quo ipso anno eius pater L. Piso, C. Caesaris socer, censor fuit cum Appio Claudio. Cf. Lips. ad Tacit. Ann. VI, 10. Anno statim sequente, quo Flaccus ei hanc epistolam scripsit, consulatum gessit cum M. Liuio Druso Libone V. c. 739. Cf. Dion. LIV, 21 Vol. I. p. 750 ed. Reimar. Deinde V. c. 742 a Chr. n. 12 legatus Caesaris Augusti pro consule factus, quo tempore Pamphiliae praeerat, atrocissimum bellum, a Bessis, Thracum ferocissimis, maiorem Haemi partem ad Rhodopen vsque tenentibus, ortum, qui a Vologaeso, Bacchi sacerdote, ad arma instigati, adsociatis aliis, Thraciam ad Chersonesum vsque bello vastarunt, triennio composuit, iisque in pristinum pacis

modum redactis securitatem Asiae et Macedoniae pacem reddidit. Ob quas res bene gestas supplicatio et honores triumphales decreti, vt narrat cum Tacit. l. l. Dio. LIV, 34. Vol. I. p. 765. Vid. Vellei. II, 98. Flor. IV, 12. Ad hanc expeditionem spectant Antipatri Thessalonicensis epigrammata X—XIX in Elegantissimi Iacobsii Anthol. Gr. T. II. p. 97, 98, 99. Cf. eiusdem Animadv. in Anthol. Gr. Vol. II. P. I. p. 293—300. A Tiberio praefectus vrbis, Tauri Statilii successor, factus est; de anno dissentiunt Viri docti. Viginti enim per annos Pisonem praefectum vrbis fuisse scribit Tacit. Ann. VI, 11. Fuerit ergo necesse est v. c. 765. Nam ab eo anno vsque ad a. V. c. 785, quo eius publicum funus celebratum esse, narrat Tacit., viginti numerantur anni. Atqui Augustus adhuc a. 765 vixit. Quomodo ergo verum, quod Plin. Suetoniusque consensu tradiderunt, a principe Tiberio Pisonem factum Praef. vrbis propter bidui assiduam compotationem? Illius verba XIV, 22. sunt: *Eaque commendatione* (ebrietatis scilicet) *credidere L. Pisonem vrbis Romae curae ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principem.* Suet. Tib. 42: *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem* (dissentit Plin. l. l. qui ait duas noctes) *continuumque biduum epulando potandoque consumsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri praefecturam Vrbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos, et omnium horarum amicos professus.* Atqui vel ab initio principatus Tiberii ad Pisonis mortem anni dumtaxat 17. Quare iam recte Ernesti ad Tacit. l. l. et Summus Wolfius ad Suet. l. l. suspicati sunt, apud Tacit. e numero XV factum esse XX. Quod si signum V a librariis cum signo X permutatum ponimus, res incidet in a. 769 fere aut 770. Obiit autem a. V. c. 785 h. e. anno Tiberii XIX. octogesimo aetatis anno. V. Dion. LVIII, 19. Tacit. l. l.

Eius mores et indolem optime sic describit Vellei. aequalis II, 98, 3: *De quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate temperatissimos, et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quae agenda sunt, curet, sine vlla ostentatione agendi.* Pisonem otiosum potui valde indulsisse simulque officium diligentissime administrasse

Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae
Fingentur species, vt nec pes, nec caput vni

testatur cum Tacit. l. l. Senec. Ep. 83, §. 12: qui vitae eius rationem nobis sic enarrat: *L. Piso, vrbis custos, ebrius, ex quo semel factus est, fuit. Maiorem partem noctis in conuiuio exigebat: vsque in horam sextam fere dormiebat: hoc erat eius matutinum. Officium tamen suum, quo tutela vrbis continebatur, diligentissime administrauit. Huic et diuus Augustus dedit secreta mandata, cum illum praeponeret Thraciae, quam perdomuit: et Tiberius proficiscens in Campaniam, cum multa in vrbe et suspecta relinqueret et inuisa.* Omnino virum singularis ingenii fuisse iam inde colligitur, quod per quinquaginta fere annos miram gratiam Augusti et Tiberii retinuit. Hunc tantum virum amicum poeseos fuisse ex Epigrammate XIV Antipatris Thessalonicensis l. l. quo eum poetarum patronum celebrat, satis patet, vt adeo non opus sit ad hanc rem confirmandam ad Porphyrionis testimonium confugere scribentis: *Nam et ipse Piso poeta fuit et studiorum liberalium antistes*, quem tamen in hac re narranda ex prisco fonte hausisse probabile fit. An vero is Piso ille sit, quem memorat Iuuenal. Sat. V. v. 209. vel cuius Panegyricum scripsit Salleius Bassus l. l. dubito; multo vero minus sentire possum cum Hieronymo de Bosch in Obss. et not. in Anthol. Gr. Tom. IV. p. 142 qui ad vindicandam opinionem, hanc epistolam Pisonibus a Flacco non esse dedicatam, intercessisse putat nullam familiaritatem poetae cum hac gente, quoniam, cum tamen plurimis suis amicis, vt Maecenati, Augusto, Virgilio, Tibullo, Sallustio, Lollio allisque carmina sua dicauerit, nullum homini ex genere Pisonum miserit neque vllius meminerit. Nam hoc argumentum nullius esse pretii facile quisque videat. Omnem autem eius viri de hoc carmine sententiam alio tempore examinabimus. — *isti tabulae*, h. picturae. In tabulis enim olim pingebant. Cf. Cic. de Fin V, 1. Id. Parad. V, 2. Plin. Hist. Nat. XXXV, 35, (9) Tom. IX. p. 440. *liber* est quodlibet scriptum h. l. poema. *persimilem*, prorsus similem. *cuius, velut aegri* cet. Sensus: qui tot inutiles et portentosas continet ideas, vt initium et exitus sibi non respondeant. Ordo verborum est: *cuius vanae species fingentur, velut somnia aegri* cet. *species*, φαντάσμα-

Reddatur formae. *Pictoribus atque Poëtis*
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim,

ra, ap. Aristot. *ideae*. Vid. Cic. Acad. I, 8. *Hanc illi ideam appellabant iam a Platone nominatam: nos recte speciem possumus dicere.* Adde eund. in Top. 7. *vanae*, inutiles, inanes, omni vi destitutae, *velut somnia aegri* h. e. aegroti. Sic Pers. Sat. III, 83. ad h. l. fortasse alludens: *Aegroti veteris meditantes somnia.* Vi Substantiui legitur ap. Cic. de Diuinat. II, 3. de N. D. II, 4. Inter *aegrum* et *aegrotum* hoc statuit discrimen Serv. ad Virgil. Ecl. I, 13. *aegrum* tum de corpore tum de animo dici, *aegrotum* de corpore tantum. Recte. Prouerbialis autem est loquendi forma de qualibet re irrita et falsa. Hinc Graecorum: οὐδ' ὄναρ et Latinorum: *ne per febrim quidem somniassem.* *Somniare* enim ii dicuntur, qui aliquid inepte et sine ratione faciunt seu volunt. Cf. Plaut. Pers. II, 3, 5. Cic. de N. D. I, 8. Suaviter autem hoc prouerbio talis poematis inconuenientiam turbatumque ordinem nobis ob oculos ponit poeta. Iunge *fingentur*, (ita) *vt nec pes*, finis, *nec caput*, principium, *reddatur*, apte pro: conueniat. Haud scio an notio insit: vnam formam debitam vel conuenientem repraesentet. *Forma* autem est totum operis, vel corpus, vt explicant Scholiastae. Gell. I, 1. *naturalem membrorum omnium inter se competentiam* appellat.

V. 9. 10. Iam Horatius, vt malos poetas, qui carminis inconuenientiam licentia poetica excusarent, refutaret, sibi his vss; pro more, fingit aliquem oratione interpellantem. Statuere, Pisones hic loquentes introduci, intolerabile est, quod iam recte monuit Cl. Schelle, quem vid. ad h. l. *aequa*, eadem, vulgare est: aeque poetis ac pictoribus. Cf. Carm. I, 4, 13. ibique Ill. Mitscherlich. et II, 18, 32. *quidlibet audendi*, in picturis et poematibus pangendis, quaecunque volunt, fingendi.

V. 11—14. Respondet illi poeta, hanc poetarum licentiam limitibus suis coërcendam, naturamque esse imitandam. *petimusque damusque vicissim* h. e. alternis vitiis ignoscimus, vel quae magis placet Acronis expli-

Sed non vt placidis coëant immitia, non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis grauibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, vnus et alter
Assuitur pannus, cum lucus et ara Dianae

catio: *petimus* vt poetae, *damus* vt critici. Sed nec pictor nec poeta debet fingere naturae repugnantia. Vide quo ornatu hanc sententiam perpoliuerit. Primum ponitur generale. *Sed non*, supple: petenda est et danda venia ita *vt coëant*, coniungantur, sed illud proprie de animalibus, generationis causa, congredientibus. Cf. Ouid. Heroid. Ep. IV, 129. Simili modo *iungere* ap. Virgil. Ecl. VIII, 27. Aen. I, 77. IV, 192. Tum speciale subiungit. *Serpentes auibus.* Quam infensa et perniciosa quaedam serpentum genera sint auibus patet ex Homer. Il. β. 308 sqq. et vice versa aues rapaces serpentibus ex Aelian. de Nat. Animal. X, 14. p. 319. ed. Schneider. Ὄφεων τε καὶ δακετῶν θηρίων, ὁ αὐτός (intell. ὁ ἱέραξ) ἐστιν ἔχθιστος· οὐκ ἂν γοῦν αὐτὸν διαλάθοι οὔτε ὄφις, οὔτε σκορπίος, οὔτε μὴν πονηρᾶς ὕλης ἄλλο τι ἔκγονον.

V. 14 – 21. Quae in fabula obseruanda est cohaerentia et vnitas, eam seruare pariter debent poetae in Episodiis. Digressiones enim, quibus illustratio quaedam quaeritur et delectatio, ex argumento principe ita ducendae sunt, vt reditus ad rem aptus et concinnus pateat. — *Inceptis grauibus*, argumento graui, quod tractatur et adumbratur in cuius exordio *magna professus* est auctor, h. e. multum promisit. *Profiteri* autem de iis praecipue dicitur, qui initio poematum vltro multum pollicentur, iactant. Sic infra v. 138. talis generis poetam *promissorem magno hiatu* vocat, vbi simul tale carminis initium laudat. *Purpureus assuitur pannus*, metaphora a purpureis clauis, qui tunicis senatorum assuebantur, est desumta. *pannus purpureus* contemtim nominat res inepte ornandi capsa intextas, qualibus sibi mirifice placuisse videntur illius aetatis poetae. Cf. Iuuenal. Sat. I, 7 - 14. et Pers. Sat. I, 70. 71. Apte adiectum: *late qui splendeat*, quibus totius carminis dignitatem, pretium adeoque famam augere student. Docte ac mo-

Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes

re satis obuio hoc monitum exempli haud dubie e poetis eiusdem aetatis, quae eius veritatem illustrarent, inuolutum proposuit poeta. — *Cum lucus et ara Dianae.* Alii haec verba accipiunt de luco et ara prope Ariciam, vrbem Latii in Nemorensi, vbi Diana colebatur, inde *Nemoralis* et *Nemorensis* appellata. Cf. Cellar. Geogr. Antiq. libr. II. c. 9. sect. III. p. 640 sqq. et Harduin ad Plin. H. N. XXXV, 33, (7) Iuxta hanc vrbem fontes erant, qui plurimis riuulis per prata in Aricinum lacum decurrebant, quod monuit Cruqu. ex Strabone, ita vt haec omnia bene ad h. l. quadrent. De cultu Aricinae Dianae eiusque templo cf. Heyne in Excurs. VIII, ad libr. Aen. VII. Tom. III. p. 177. ed. 1803. Alii proniores sunt ad intelligendum lucum et templum Dianae in Taurica Chersoneso, de quo egit Ouid. Trist. IV, 4. Pont. III, 2. Vid. Haberf. *Flumen Rhenum*, pro: fluvius Rhenus. Poetae consueuerunt substantiua etiam declinare ad formam adiectiuorum. Sic posuit Ouid. Met. XV, 869. *caput Augustum* Ep. ex Pont. I, 5, 75. *Quirinam vrbem* Pers. Sat. I, 69. *heroas sensus* VI, 5. *iuuenes iocos* et Noster Carm. IV, 4, 38. *Metaurum flumen.* — *Sed nunc non erat his locus.* Aliena omnino sunt haec episodia, quae totum poematis laedunt. Cf. Aristot. c. VIII, 8, 3. p. 23. Pindar. Pyth. ϑ, 136 sqq. Pers. Sat. I, 69—75. Sed tamen hoc eo vsque progressum vitium, vt adeo multi non modo has inutiles et intempestiuas res ament, sed etiam vbique, quamuis loco satis importuno, inculcent. Maiori delectatione poeta hanc simplicem sententiam declarat narratiuncula fortasse tum omnibus nota, de qua disputauimus in Obss. p. 28. *Et*, ne suspectam habeas coniunctionis particulam, quae h. l. est inceptiua, cf. Terent. Phorm. I, 3, 19. ibique Serv. Simili modo orditur poeta infra vs. 52. — *simulare*, exquisite pro: pingere. Simili modo Ep. II, 1, 240. *aera Fortis Alexandri vultum simulantia.* — *quid hoc si fractis enatat exspes qui pingitur?* Quid attinet cupressum pingere, cum mercator pingi velit in medio

Nauibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit

naufragio conflictatus, ex quo vix euaserit tabula nixus, fracta naui et rerum omnium facta iactura. enatat, i. e. euadit mari, *exspes*, quia in in tempestate de vita desperauerat, vel quia merces recuperare desperat adeoque ab omni spe, quam de lucro conceperat, destitutus. Qui naufragio olim vel alio insigni periculo euaserant, funestos, quos tulerant, casus, ne toties eos stipem colligentes, narrare cogerentur, et quoniam mentem magis adficiunt, quae oculis, quam quae auribus percipimus, pingi curabant in tabulis, quas humeris primum ferebant ad commouendam piorum hominum misericordiam, et deinde vna cum vestimentis, quae seruauerant, tanquam ἀναθήματα, in templo Neptuni, vel Isidis (cuius, tutelam nauigantium in se suscipientis, festum erat: *Isidis nauigium*, de quo vid. Lactant. Inst. I, 2. et Apul. Met. XI. p. 367. ed. Elm.) et Aesculapii aut alius, a quo se seruatos credebant dei suspendebant. Cf. Carm. I, 5, 13 sqq. ibique Docties. Mitscherlich. Virgil. Aen. XII, 766 sqq. Tibull. I, 3, 27. ibique Heyn. Iuuenal. Sat. II, 1, 33. XII, 28. XIV, 301, 302. ibique Cl. Ruperti et Casaub. ad Pers. Sat. I, 89 sqq. Si nudi euasissent comam detonsam diis consecrabant. Lucian. in Merc. cond. init. T. I. p. 652. ed. Reiz ibique Bos. Interdum etiam eos, qui depictam non habuerunt tabulam, truncum fasciis innolutum gestasse, fortunamque suam narrasse, colligendum videtur ex verbis Martial. XII, 57. *Nec fasciato naufragus loquax trunco.* Hunc autem morem pictoribus satis fuisse quaestuosum patet ex Iuuenal. Sat. XII, 28.

— *pictores quis nescit ab*
Iside pasci?

Iam intelliges verba: *aere dato.*

Vs. 21. 22. *Amphora coepit institui currente rota cur vrceus exit?* Sensus: Ex his inepte inculcatis episodiis totum poematis corrumpitur, adeo vt poema, cuius exordium multum promisit, tanto conatui minime respondeat. Sed et hoc expositum est imagine rei accommodatissima, vt vix quidquam praestantius et aptius fingi possit. Talis poeta, inquit, similis est figulo,

Institui, currente rota, cur vrceus exit?
Denique sit, quod vis, simplex dumtaxat et vnum.

qui dum vas magnum (*amphoram*) formare vult, ecce, rota versa, minimi tantum pretii vas (*vrceum*) perficit. Verba ex re figlina desumta. *Amphora*, genus vasis magnum, variis vsibus inserviens, praecipue vino condendo. *Instituere*, proprium in hac re vocabulum, idem est, quod nobis: anlegen. Sic Cic. de Fin. 4, 13. *rota* intell. figularis, qua figulus vasa format. Sic Plautus Epid. III, 2, 35. *Vorsutior es, quam rota figularis.* Adiectiuo non adiecto legitur ap. Tibull. II, 3, 48. vbi vid. Heyne. *vrceus*, vas ansatum minoris notae ad aquam administrandam, bene h. l. opponitur voci: *amphora*. *exit* h. e. prodit, nihil amplius. Vix enim cum Baxtero in hoc verbo notionem: *ex insperato* investigare possum.

Vs. 23. Concludit iam poeta. Denique opus seu poema, quod instituis, non sit multiplex, neque ex partibus dissimilibus compositum; sed *simplex* h. e. sine vllo superfluo ornatu, vel, quod melius esse videtur, μονοειδές, (cui opponitur πολυειδές, ex variis formis constans) vt eodem sensu dictum sit quo *vnum*, *denique* h. l. est, vt paucis dicam, vt totum praeceptum complectar, vno verbo. Sic ap. Ouid. Met. II, 95. Cic. ad Div. X, 10. vbi vid. Graev. Caes. B. G. II, 33. VII, 64. Tacit. Ann. I, 26, 28. Vellei. II, 113. et ibi Krause. Schellius accipere malebat hoc sensu: tantum, modo, quo infra v. 267. Minus bene, si quid video. Nam haec vocabuli vis iam inest verbo: *dumtaxat*. — Notent tirones, poetam tali sententia generali, praecepto adiecta, vnde illud maiorem accipiat vim, vti pro transitu. Cf. infra v. 31. qui aeque ac hic v. ad antecedentia est referendus. Ceterum totum hoc exordium plurimi Intpp. censent de carmine epico praecipere, de que illius oeconomia et absurda compositione episodiorum agere, quod efficiunt 1) ex voce *libri* v. 6. 2) verbis v. 14. *inceptis gravibus* — cet. Cf. v. 136 — 138. 3) e verbis v. 18. *flumen Rhenum*, quo oblique pungere videretur Flaccus poetam *epicum*, turgidum Alpinum, qui *diffingit Rheni luteum*

caput Cf. Sat. I, 10, 37. sed ni me omnia fallunt, haud recte. Nam ex eo, quod fortasse exempla ad praeceptum illustrandum ex epicis illius aetatis carminibus desumsit, non sequitur totum monitum ad malam epicorum carminum oeconomiam et absurdam compositionem spectare, quod melius generali sensu de omnium poematum generibus capias.

VARIAE LECTIONES

ET

OBSERVATIONES.



Iam inde a Saeculi XVI temporibus de vera huius carminis inscriptione dissenserunt Critici, et adhuc sub iudice lis est. Alii enim *Artem Poeticam* seu *De Arte Poetica Librum* vocari, alii *Epistolam Ad Pisones* seu *Ad Pisones* inscriptum malunt. Ambae autem inscriptiones inueniuntur cum in membranis tum in vetustis edd. quae modo alterutram plerumque tamen ambas vna exhibent, ita vt nil quidquam inde, quod ad verum ducat, elici possit, adeoque in medio relinquatur, vtra genuina sit. Omnem quidem de vera inscriptione dubitationem depellere posset grauissimorum testium Quinctiliani [1], Terentii Scauri [2], Diomedis [3], Apollinaris Sidonii [4],

[1]) Cf. praef. ad Tryphon. et Inst. Orat. VIII, 3.

[2]) Hic Scaurus, cuius cum alii tum Diomedes saepe meminit, vixit, vt Gellius N. A. XI, 15. testis est, temporibus Adriani. Pater fuit Scauri grammatici, qui praeceptor traditur Aelii Veri. Conferas velim Capitolin. in vit. Veri cap. 2. et Iacob. Gronov. ad Gellii l. l. Itaque non video, quo iure ante Quinctilianum eum posuerint recentissimi Intpp. Huius Scauri Commentarii in Artem Poeticam bis laudantur a Fl. Sosipatre Charisio (Inst. Orat. libr. II. p. 182 et 188 ed. Putschii. Hanoviae 1605) quod quidem Viri docti ad commentarium in Horatii Artem Poeticam referunt. Sed nimis festinanter, si quid video. Locus quidem prior p. 182 fortasse ita accipi posset. Agit Charisius de aduerbiis et in aduerbio *impariter* haec addit: *Versibus impariter iunctis, vbi Terentius Scaurus in Commentariis in Artem Poeticam libro X:* "Aduerbium, *inquit*, figurauit," (puta Horat.) Sed posterior locus p. 188 reluctatur: *Primus, pro imprimis, vti Maro:* Troiae qui primus ab oris, *vbi Terentius Scaurus Commentariis in Artem Poeticam libro X:* "Non quis ante omnes, *inquit*, sed ante quem nemo est," *et addit* "quo genere plures primi accipi possunt." Nonne ex vltimo hoc loco verisimile fit, istud

Prisciani [5]), Servii [6]), Valerii Probi [7]) et Porph. [8]) auctoritas atque consensus, qui omnes titulum De Arte Poetica afferunt adeoque hanc inscriptionem veram probare videntur, nisi alia obstarent, quae in verba horum magistrorum iurare vetarent. Quae antequam explanentur non omittendum videtur a Fl. Sosipatre Charisio (vid. ei. Gram. Inst. libr. II. p. 182 et 183) duo loca opusculi Horatiani afferri, apposito indice: *Horat. Epistolarum* et Ach. Statium in antiquissimo Cod. Ms. hoc carmen tanquam epistolam primam reliquis Horatii epistolis praepositum inuenisse. Quod contra Charisii auctoritatem monet Regelsberger [9]), opinionem suam secutus, istum

a Charisio allatum Scauri opus, non esse Commentarium in Artem Poeticam Horatii, sed de opere grammatico poeseos sumendum. Fortasse scripsit ille Scaurus institutiones poeticas seu de dictione poetica. Aliter quidem non video, quomodo vsque ad vs. 75. huius epistolae (*Versibus impariter iunctis querimonia primum*) iam Scaurus decem libros conscribere potuerit. Maiore quidem veri specie possis ex Charisii verbis coniicere, Scaurum scripsisse Commentarium in omnia Horatii opera, cuius decimum librum enarrandae Arti Poeticae impenderit. Sed quo magis illa considero, eo minus, cum vox *Horatii* desit, Virorum doctorum, qui Scaurum inde commentatorem Horatii pronuntiant, probanda videtur opinio. Sed viderint alii an veriora indagare possint. Equidem dixi, quae in mentem mihi super re dubia admodum et incerta venerunt.

3) Lib. III. p. 484 ed Putsch.

4) Locus exstat Carm. IX, vs. 223 sqq.

"Non quod per Satiras, Epistolarum
„Sermonumque sales, nouumque Epodon
„Libros carminis ac *Poeticam Artem*
„Phoebi laudibus et vagaе Dianae
„Conscriptis, voluit sonare Flaccus."

5) Libr. XVIII. p. 1149 ed. Putsch.

6) Vid. ei. not. in Virg. Aen. I. vs. 8.

7) Gram. Inst. libr. I. p. 1391 ed. Putsch.

8) Cuius verba sunt haec: "Hunc librum, qui inscribitur „*De Arte Poetica* ad L. Pisonem, „qui postea vrbis custos fuit, „misit." Alii et Acr. huius inscriptionis testem laudant, sed quo iure non extrico, quum hic de inscriptione plane taceat.

9) In libro, qui inscriptus est: *Horazens Dichtkunst, in neu entdeckter Ordnung: das vollkommenste Lehrgedicht des Alterthums, ein Meisterstück der Nachahmung und Kürze. Lateinisch nach einer achthundertjährigen Handschrift. Übersetzt in eben dieselbe Versart mit Commentar, Anmerkungen, Lesearten und einem Auszuge aus Aristoteles Dichtkunst, von J. Christoph Regelsberger.* Wien, 1797. p. 22 et 23. —

genitiuum (*epistolarum*) intelligi non posse, nisi addita voce *volumine* contendens, id recte refutauit Morgensternius [10], V. Cl. qui vel *libris* vel *συλλογῇ* (quamquam de supplemento *συλλογῇ* Latini cogitare non potuerunt) vel tale quid assumi posse, perite monuit. Idem tamen Vir doctissimus, quod nihil plane Horatium inscripsisse putat, verum vidisse mihi non videtur.

Vt autem Charisio et Ach. Statio, si cum antiquissimis grammaticis comparentur, non multum auctoritatis tribui posse, facile intelligitur, praesertim cum de ea Charisii nihil certi eruere possimus; ita temeritatis notam vix effugies, si ex vetustate inscriptionis de veritate eius iudicare velis. Etenim quod illi grammatici *librum De Arte Poetica* appellant, hoc fortasse indicare voluerunt in eo de compositione poetica agi vel opinionem suam profiteri, veram poetices descriptionem illo contineri. At hoc non esse argumentum carminis facile intelliges animaduerso, principia artis poeticae instamque de ea tradendi rationem in eo desiderari. Operis autem argumentum ita a Flacco est constitutum, vt non solum aequales suos, qui pro poetis et criticis haberi vellent, perstringeret atque rideret, sed etiam statum litterarum Romanarum, qualis tum erat, bene perspectum habens, ad dramaticam poesin inprimis eos institueret seu omnino, vt ipsius verbis vtar, eos doceret:

Vnde parentur opes, quid alat formetque poetam,
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

An igitur cum Iul. Caesare Scaligero poetam doctissimum poeseosque callidissimum *Artem sine arte* scripsisse putabimus? an cum Heinsio nescio quas transpositiones

De cuius Viri opera Horatio impensa Vir Sagacissimus et Doctissimus Eichstaedt (in epistola, quam adiecit Astii libello: *De Platonis Phaedro*. Ien. 1801. p. 175) hoc rectum tulit iudicium: "In multis vir doctissi„mus cupidius egit, quam ve„rius; ad obtinendam causam „versus — contorte explicuit, „planeque immemor rationis Ho„ratianae nimio suae opinionis „amore eo se passus est abduci, „vt cum nonnulli olim *Artem* „*sine arte* traditam pronuntia„rint, nunc poeta Artem putida „arte scripsisse censendus sit." —

[10]) In doctissime scripto opusculo, cui titulus: *De Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine scripsit* Carolus Morgenstern. Lips. et Gedani, 1801. p. 91.

meditabimur? an plane immemores rationis Horatianae cum Regelsbergero austeram ac morosam illam, cui insistunt rigidi philosophi, methodum aptabimus ei poetae, cui non magistri seueritate, non philosophi supercilio, non doctrinae ostentatione offendenti, id tantum erat proposítum, vt de difficultatibus poeseos et poetarum erroribus moneret, iisque potissimum locis immoraretur, vbi peculiares de singularibus quibusdam rebus, v. c. *de verbis nouis fingendis, de iambicis versibus, de dramatum satiricorum dictione*, obseruationes possent expromi?

Argumentum ergo, quod persecutum vidimus poetam in condendo hoc carmine, prorsus obstat grammaticorum inscriptioni, quae etiam, vt Lambinus (vid. ei. praef. ad A. P.) recte sensit, rationi Flacci minime est consentanea, quippe qui Satiris et Epistolis non argumenta, sed nomina eorum, ad quos misit, inscribere soleat. Idem est iudicium Vossii de poet. lat. cap. 2. Tom. III. p. 239 Oper. suor. ed. Amstel. 1697. — Aliam tamen hanc inscriptionem defendendi rationem iniit Schelle V. D. in Proleg. p. 5 sqq. vbi monuit, non eo, quo ostendimus modo, illam esse accipiendam, quasi hoc titulo iustum et plenum carmen didacticum indicare voluisset Venusinus poeta; sed titulum ita explicandum, omnia in hoc carmine eo redire: *poesin esse artem non vanitatem orationis adhibitam.* Sed in hac opinione aliquid incerti et ambigui latere facile sentias.

Quae si recte disputata sunt, aeque falsa est inscriptio: *Ars Poetica* atque illa, quam veteres grammatici epistolae ad Augustum II, 1. addiderunt; *De veteribus et nouis poetis*, aut quam ep. ad Numicium I, 6: *De finibus bonorum*, aut quam ep. ad Fuscum Aristium I, 10: *De comparatione vitae rusticae et tranquillae cum vita vrbana et turbulenta.* Eadem aliarum inscriptionum est ratio, quas non Horatius, sed alii serius apposuerunt. Quod quidem mirum non videbitur cogitantibus, quam frequens fuerit hic grammaticorum mos, libris veterum argumenta inscribendi, vt ex Homero aliisque manifestum est. Nonne denique ipse Horatius saepissime Pisones alloquendo (vid. vs. 6. 24. 235. 270. 291. 366. 385. Nam quod poeta non vbiuis orationem ad Pisones convertit, inde nihil contra naturam epistolae euincitur, vt

docte iam explanauit Morgensternius in libro supra laudato p. 94) epistolae poeticae formam ostendit eoque inscriptionem: *Ad Pisones* confirmare videtur.

Argumentis, cur inscriptio spuria nobis videatur, prolatis, iam superest, vt, quantum quidem fieri possit, in ortum eius inquiramus. Non ita multo post Horatii obitum grammaticos eius opera enarrare coepisse et C. Aemilii et I. Modesti deperdita scholia testari videntur, et nemo facile negabit, qui videat ad eius carmina recte intelligenda tam multarum rerum requiri cognitionem. Cum autem in hoc carmine longe vberiora, quam in Sermonibus passim et Epistolis reliquis insint praecepta, quae consilio quodam ad docendi rationem concinnata esse videntur; *Artis* nomine insigniisse libellum grammaticos et separatim commentariis illustrasse, vnde et in Codd Mss. et Edd. vet. separatim reperitur a ceteris Epistolis, a quibus tamen dicendi genere et orationis colore minime differt, verisimillimum esse videtur. Idem igitur accidisse huic poetae Venusini opusculo intelligendum est, quod accidit *Somnio Scipionis* ex Ciceronis opere *de Republica* excerpto et per Marcrobium illustrato.

Itaque consuetudinem sequimur, non ipsam auctoris manum repraesentare nobis videmur, cum titulum *De Arte Poetica* retinemus.

V. 2. *Iungere si velit.*] Ita Codd. Vindob. Gott. omnesque, quos Intpp. inspexerunt, libri scripti et editi; et ita laudat haec verba Quinctilian. Inst. Orat. VIII, 3. Vol. II. p. 83 ed. Bipont. Pessime Bersm. vnus *qui velit.* Wielandii autem lectione: *si velit variasque inducere* metrum iugulatur.

plumas.] Sic exhibent Bentl. Codd. omnes, praeter Reg., item Vpsal. [1]) Vindob. Gott. forsitan et alii, etsi sileant editores, edd. Medioll. 1477. 1486. 1502. 1508. Venett. 1478. 1479. 1486. 1490. 1494. 1495. 1498. 1544.

[1]) De hoc Cod. vid. Auriuill. in Act. Nou. Societ. Reg. Vpsal. Tom. I. p. 110 sqq., vbi non solum describitur ille accuratissime, sed etiam varietas lect. in Arte Poetica ex illo enotata legitur, qua, a nemine adhuc, quoad scio, vsurpata, hic vsus sum.

1546. 1558. 1559. 1561. Pinc. Venett. 1492. 1495. 1509. Locher. Edd. Lips. 1498. 1516. 1564. 1568. Paris. Ascens. 1505. 1511. 1519. 1528. Ald. Venett. 1509. 1519. 1527. Basil. Cur. 1527. Lugd. Gryph. 1536. 1547. 1559. Paris. Colin. 1539. 1543. Henricopet. 1545. Paris. 1545. 1642. Colon. Agr. 1564. Antwerp. Plantin. 1577. edd. tres s. l. e. a. [2]) ceteraeque omnes, quae notae sunt, edd. Eandem lectionem dederunt Landin. Ach. Stat. Muret. Ge. Fabric. Ro. I. H. II. et Ro. III. Stephh. Lamb. Cruqu. Cha-

2) Quarum prima in 4., quam numero I. breuitatis causa designaui, est ea, quae sine vlla loci et anni nota haud dubie a Iac. Thannero Lips. 1498 excusa, hunc habet titulum: *Horacy Flacci venusini poete cesory poetica ad pisones.* In fronte et in fine leguntur carmina lyrica Magistri Hinrici Northemensis. Habet insignes quasdam lectiones, vt adeo digna sit, quae accuratius inspiciatur. Cf. de ea Ill. Mitscherlich in doctissimo tractatu: *de Horatii editionibus* p. LXXIV et quos ibi laudat Vir Elegantissimus. Ceterum non solum in nostra Bibl. Acad. sed etiam in Guelpherbyt. exstat, vbi plures rarissimae A. P. edd. s. l. e. a. asseruantur, quae mihi omnes perlustrare ob temporis breuitatem non contigit, sed aliquando fortasse continget.

Secunda, (numero II. a me laudata) quam in Bibl. Guelpherbyt. inspexi, continet: *Q. Horatii Fl. Venusini poetae institutiones poetarum ad Pisones per Iac. Barynum*, absque anni et loci nota. (Lips. 1499.) Adeatur de ista Cl. Mitscherlich l. l. p. LXXV.

Tertia (III.) in 4 hoc titulo est insignita: *Q. Horatii Fl. Venusini Institutiones Poetarum ad Pisones.* Nullum quidem ed. litteris Gothicis impressa, loci, anni et typographi prodit indicium, illam tamen ex officina quadam Lipsiensi, et nisi plane fallor, Iacobi Thanneri prodiisse, persuasum mihi habeo. Curauit illam M. Andreas Epistates Delitianus, qui non solum hoc dicolon distrophon:

Dotibus egregiis quanquam natura beauit
Te: licet ingenii viribus emineas:

Haud tamen attinges frumentu dulce poesis:
Integri vatis nec tibi nomen erit:

Presidiu misere validum ni senseris artis;
Vngue tenus noris condita dona vafer
Nimirum iuuenis callens mediocriter artem
Manous succedit vatibus ille malis.

ad lectorem praemisit, sed etiam in fine carmen elegiacum XVII distichorum, in Antipoetas adiecit. Cf. Freytag *Adpar. litt.* II, p. 1351.

bot. Bersm. Heins. Pet. Nann. T. Fab. Dacer. Desprez. Burm. Talbot. Bxt. Cun. Sanad. Iones. Gesn. Hurd. Valart. Comb. Regelsb. Haberf. Schelle alii. Accedit quod illam ob oculos habuit Acr. et Ioannes Saresberiensis Polic. II, 8: *Disiuncta*, inquit, *coniungit*, *vt si Humano capiti ceruicem iungat equinam*, *varias inducens vndique plumas*, *vt iuxta poetam*, *turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne.* Cod. vero Reg. Bentl. coll. Sax. Gesn. Cod. Sorb. Valart. praebent *pennas*; sed e glossa fortasse Scholiast. qui istud *plumas* per pennas explicant, irrepsisse suspiceris. Bentl. autem, cui illud *pennas* parum, *plumas* autem minime placuit, licet omnes libri scripti et editi reclament, nouam lect. (nolim enim quamquam innotuit Bisciolam *Hor. subseciu.* Tom. II. p. 209 et Manbrun. *de epico carmine* p. 189 iam eam exhibuisse, ideo cum Cun. statuere Bentl. illam tacite suam fecisse) protulit hanc:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, et varias inducere *formas*

Qua quidem opera profecto supersedisset, si mentem poetae recte percepisset. Nam ille ad vs. 2. haec annotauit: *inducere plumas membris perinde erit ac ipsum caput, ceruicem, caudam et cetera membra vndique collata plumis obducere et tegere. Iam vero illud omnia portenta et omnium aegrorum somnia longe exsuperet, si mulieris facies, si equi ceruix, si cauda pistricis plumis vestiantur.* Haec vir sagacissimus; sed verba: *varias inducere plumas membris* non ita sunt intelligenda, quasi totum corpus a summo ad imum poeta plumis obductum finxisset; nam tale monstrum profecto, vt Bentl. verbis vtar, omnia portenta longe exsuperaret; sed potius plumarum ornatus ad verbum *membris* ita est referendus, vt sit: reliquis membris, brachiis, humeris, pectori, ventri, praeter caput ceruicem et caudam, varias plumas auium imponere. Sic tota imago existit perfecta! Posses etiam verba: *varias inducere plumas* referre ad: *capiti humano* et virginem, quae pro comis haberet *plumas* intelligere, seu ad: *ceruicem equinam* eique plumas impositas tibi fingere, vt est ap. Ouid. Met. XIV, 498:

"Vox pariter vocisque via est tenuata comaeque
„In plumas abeunt: plumis noua colla teguntur."

Sed vtrumque minus bene fit. Si enim iungas: *induc. var. plum. hum. cap.*, haec non conueniant cum verbis: *mul. form. sup.* Quis quaeso virginem superne formosam dicat, quae plumas pro comis habeat? Accedit quod constructio sic paullo durior existeret ob interiecta: *cervicem* ... si. Si autem cum aliis (in quibus nollem fuisset Haberf.) ad: *ceruicem equinam* referas istud: *var. induc. plum.* tunc etiam constructio sententiarum haud bona euadit. Nolim igitur aliam quam supra positam interpretationem quaerere nec cum Bentl. membranarum optimarum lectionem sollicitare, praesertim cum noua, quam hic in notis protulit, lectio, nec tamen in textum recepit, aliquo modo incommoda videatur. Nam *formam aliam inducere membris* est transformare membra, vt ap. Ouid. Met. VII, 642:

— — — humanam membris inducere formam

est: mutare in corpus humanum; quod quam ineptum sit in pictore, qui imaginem ab initio pingit nouam, nemo non videt. Accedit, quod notio, quam illa emendatione inferre vult Bentl. iam subsit verbis: *vndique collatis membris*, vt nil dicam de eo, quod hac lectione certa imago in incertam transeat, totamque picturam exprimat, quod tamen v. 9. demum occurrit. Quis autem non videat ideam specialem generali hic esse meliorem? Quod autem dicit idem Bentl. alarum esse *pennas*, plumis autem reliquas partes corporis velari, fateor quidem proprie hanc esse differentiam inter *plumas* et *pennas*, vt illa tennior mollior et densior totum corpus tegat, haec autem sit crassior et longior, vt in ala et cauda. Sic Columell. VIII, 2: *Gallinae*, inquit, *sint rubicundae vel fuscae plumae nigrisque pennis.* Interdum tamen inprimis ap. poetas sine huius discriminis respectu pluma ponitur. Sic Propert. I, XX, 27:

"Oscula suspensis instabant carpere plumis."

vbi Brouckh. *suspensis plumis* rectissime explicat: *alis in aëre libratis.* Cf. Burm. ad h. l. Omnino poetae quidem verbum illud generaliter posuisse, nec discrimen a Bentl. propositum vbique seruasse videntur.

V. 3. *Collectis*] duo Valart. Regelsb. vnus; Vindob. Sed *collatis* in Cod. Gott. et haud dubie in optimis codd. Agnoecit etiam Acr., commentat. Cruqu. edd. Medioll.

Venett. Pinc. Venett. Locher. edd. Lips. Paris. Ascens. Ald. Venett. Basil. Cur. Lugd. Gryph. Paris. Colin. Henricopet. Paris. Colon. Agr. Antwerp. Plantin. edd. tres s. l. e. a. omnesque quas adhuc inspiciendi locus fuit. Et est manifesto vera lectio, quam omnes dederunt, Intpp. Nam *collecta* dicuntur ea, quae sparsa fuerunt vel quaerendo in vnum conducta sunt; quae notiones h. l. non requiruntur, *collata* vero est in vnum comportata, praesertim ad totum aliquid inde fingendum. Cf. Noster. Carm. III, 4, 19.

vt turpiter] Codd. aliquot Valart. et sic Vpsal. Vindob. Gott., nec aliter Acr. Porph. omnesque qui noti sunt libri Mss.; astipulantur edd. Medioll. Venett. Pinc. Venett. Locher. edd. Lips. Paris. Ascens. Ald. Venett. Basil. Cur. Lugd. Gryph. Paris. Colin. Henricopet. Paris. Colon. Agr. Antwerp. Plantin. edd. tres s. l. e. a. Quae lectio probata est antiquiorum et recentiorum Intpp. fere omnibus. Sed *aut turpiter*, quod coniec. Sanad. est in quibusdam libris Valart., qui aeque ac Siur. recepit, accerrimeque contra vulgatam defendit. Satis temere! Videamus enim quid tam dignum protulerit Sanad. quique eum sequitur Valart. cur vetere lectione reiecta et repudiata nouam illam admittamus. Putant vocem *mul.* ad antecedentia *humano capiti* referri non posse, quoniam humanum caput nihil aliud quam caput viri, non autem sensu generali caput hominis significare possit. Porro ceruicem equinam humano capiti subiectam in Sirene muliere superne formosa locum habere non posse, itaque duo monstra h. l. ab Horatio describi, quorum primum hominis caput tantum habeat, alterum vero dimidiam superne partem feminae. Sed poetam vnam tantum imaginem proposuisse, clare docent verba: *isti tabulae.* Alioquin peritura esset ipsius imaginis gratia et ordo. Ita non opus est antiquam codd. lectionem relinquere, quae sana est, dummodo recte explices, quamque vindicarunt praeter alios Iones. Dorigh. Regelsberger, inprimis Haberf. — Alii accipiunt *vt* pro: *sicut*, et legunt *desinit*, male illi opinantes, sic tacite carpi descriptionem Homericae Sirenis. Cf. Dorigh.

atrum piscem.] Ita constanter libri scripti et editi omnes *) certe quos ipse vidi; credo etiam et ceteri.

*) Praeter ed. s. l. e. a. I.

Accedit quod Acr. Porph. et commentat. Cruqu. hanc lectionem confirmant. Nec aliter legunt Landin, Ach. Stat. Muret. Pulm. Ge. Fabric. Ro. I. Henr. II. et Ro. III. Stephh. Lamb. Cruqu. Chabot. Bersm. Heins. Pet. Nann. T. Fab. Dacer. Desprez. Burm. Talbot. Baxt. Bentl. Cun. Sanad. Iones. Gesn. Hurd. Valart. Comb. Regelsb. Haberf. Schelle. Sed Gronov. pater Observ. I, 18. p. 124. ed. Lugd. Bat. 1662. et Nic. Heinsius in codicis sui margine, vt Bentl. notauit, sic potius legendum suspicantur:

— — — vt turpiter *atram*
Desinat in *pristim* mul. form. sup.

Quippe ita Virgil. et Claudian. de Tritone; ille Aen. X, 211.

— — *cui laterum tenus hispida nanti*
Frons hominem praefert, in pristim *desinit aluus.*

hic de nuptiis Honorii vs. 147:

Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
Qua pristis *commissa viro.*

Verum codicum fidei est obtemperandum. Vid. Bentl. ad h. l. Non magis ego quidem probauerim aliam lectionem, quam vetusta ed. I. s. l. e. a. praebet hanc:

— — — *vt turpiter* hirtum
Desinat — — — — —

Nam cum et alio loco Ep. I, 3, 22. Noster eodem dicendi genere vsus sit: procliue fuit librariis in hoc quoque loco *turpiter hirtum* intrudere, vnde fluxit in illam ed.

V. 5. *risum teneatis amici?*] Iam inde ab Acr. et Porph. temporibus vsque ad Markl. in Explicat. Vet. aliquot Auct. ad calcem Eurip. Suppl. p. 254. 1763. 4. nemo est, qui hoc modo versum non interpunxerit. Sed cum ad: *Pisones* istud: *amici* referendum sit, vitiosa distinctio corrigenda ad hunc modum:

Spectatum admissi risum teneatis? Amici
Credite, Pisones — — — —

Quod quam apte Pisonibus conueniat sensuique huius loci accomodatum sit, quiuis semel monitus videat. Nam non ad amicos in vniuersum sed ad Pisones haec epistola scripta. Vid. Bentl. ad Carm. III, 2, 1. Alii cum Grifolo explicant: *etiam si amici huius pictoris sitis et tueri*

laudem et honorem eius cupiatis, tamen risum minime tenere poteritis. Sed quam dura et inepta haec sit explicatio, vel me tacente intelligitur. Recepi igitur hanc distinctionem Wakefieldo, feracissimi ingenii viro, tum Regelsb. Haberf. et Schellio etiam probatam, auctoritate vet. commentat. Cruqu. licet illud ineptum putet Barth. Aduers. XLII, 21. qui statuit sub *amicis* eos esse intelligendos, qui, antequam pictura venalitio exponeretur, de ea iudicauerunt. — Vitium interpunctionis haud dubie e verbo *credite* ortum, quod inter voces *amici Pisones* positum, vtramque separare videtur, id quod recte iam monnerunt Regelsb. Haberf. et Schelle. Pari fere modo seiungit poeta Ep. I, 8, 1:

Celso gaudere et bene rem gerere Albinouano,
Musa rogata refer, — — —

V. 7. *velut aegri somnia.*] Sic recte repraesentant codices vetustiores, omnes Lamb. Cruqu. Pulm. et e nostris Cod. Vindob. Gott. et sic omnes edd. quas consului; Cod. vero Bland. ap. Cruqu. et vetustus ex iis, quos Ach. Stat. inspexit, Ms. exhibent: *aegris.* Sed literam s vocabulo: *aegri* a sequenti: *somnia* adrepsisse, cum constructioni aduersetur, rectissime suspicatus est Cruqu.

V. 8. *Fingentur.*] Sic haud dubie legitur in omnibus vetustissimis, qui nunc exstant, codd. et sic Cod. Vpsal. Vindob. quibus accedunt Venett. 1486. 1544. 1546. 1558. 1561. Ald. Venett. omnes. Basil. Cur. Lugd. Gryph. omnes. Paris Colin. Henricopet. Paris. Colon. Agr. Antwerp. Plantin. et ed. I. s. l. e. a. nec aliter Commentat. Cruqu.; idem dederunt Ach. Stat. Muret. Ge. Fabric. Ro. I. Henr. II. et Ro. III. Stepph. Lamb. Cruqu. Chabot. Bersm. Heins. Pet. Nann. T. Fab. Dacer. Desprez. Burm. Talbot. Baxt. Bentl. Cun. Sanad. Iones. Gesn. Hurd. Valart. Dorigh. Comb. Regelsb. Schelle. *Finguntur* tres ap. Valart. quinque Mss. Br. ap. Comb. et meus Gott. Consentiunt pleraeque edd. antiquae et summae auctoritatis vt ed. pr. teste Comb. et e nostris Medioll. omnes tum Venett. 1478. 1479. 1490. 1494. 1495. 1498. Pinc. Venett. tres. Locher. edd. Lips. Paris. Ascens. omnes et edd. II. III. s. l. e. a. nec aliter Landin. et e recentissimis Intpp. Haberf. Sed perperam. Nam centum librariis fides abroganda est potius, quam vt Horatium credamus sermonis latini rationem neglexisse,

quae postulat: *Credite — — — esse — finguntur*, quod metrum respuit. Itaque cum sibi respondeant: *fore* et *fingentur*, una lectio retinenda. Alienus autem est locus, quem comparat Haberf. Sat. II, 1, 98. 99. Est et tertia lectio, *iunguntur*, quae in Cod. Helmst. exstat et ex vs. 2. irrepsisse videtur, sicut infra vs. 11. pro *geminentur*, quod libri scripti et edd. constanter exhibent, edd. Lips. 1498. 1516. et ed. II. s. l. e. a. habent *iungentur*. Quamquam vero haud negari potest, illam Cod. Helmst. lect. reddere sensum paullo venustiorem praesertim cum in sequentibus 12. 13. similes dictiones in eadem re vsurpatas legamus,

Sed non vt placidis coëant immitia, non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

nec me offendat in tali, qualem hic habemus, comparatione, idem verbum paullo ante vsurpatum, in textum tamen recipere animus non est, cum tot veterum librorum fides repugnet.

V. 9. *Reddantur.*] Cod. Helmst. Vindob. superscripto *n* ed. pr. testibus Gesn. Comb. et Regelsb. vna cum edd. I. II. s. I. e. a. Sed *Reddatur* Cod. Vpsal. Gott.; nec aliter est haud dubie in vetustis et optimae notae codd. (quamquam silent Intpp.) quorum a parte stant omnes, quas inspeximus, edd. praeter eas, quas modo memorauimus, s. l. e. a. Illud etiam dederunt ad vnum omnes Intpp. praeeunte Acr. cum quo consentire videtur commentat. Crnqu. Recte; postulante et latinitate et Horatii consuetudine, e. g. cf. Carm. I, 13, 5. et III, 10, 13. ibique Elegantiss. Iani. Prior lectio profecta esse videtur ab eruditulis grammaticis.

V. 10. *Quaelibet*] recepit Bersm. nescio vnde. Sed *quidlibet* exquisitius.

V. 12. *nam vt*] legitur in ed. Mediol. 1508. Venett. 1494. 1495. 1498. Pinc. Venett. 1492. Locher. aliisque, sed operarum puta errore.

V. 16. *cum lucus et ara Dianae*] Ad h. lect. tuendam conspirant omnes, credo, qui nunc exstant codd. et sic Vindob. Gott.; eam dant omnes vbique, quae nunc notae sunt, edd. neque aliter legisse Acr. et commentat. Cruqu. videmus, cum quibus consentiunt omnes Intpp.

Sed vnus cod. Mus. Br. ap. Comb. *quo lucus et ara Dianae.* At hoc plane prosaicum. Aliam eandemque satis miram lect. praebet Cod. Barth. Aduers. XLII, 22:

— — *cum lucus et* arma *Dianae*,

vt intelligatur arcus, tela, pharetra cet. Sed, praeterquam quod partes imaginis in vulgato textu conspirant, poeta alludere videtur ad lucum et templum Dianae Aricinae, de quo vid. Comment. p. 9. Hactenus vulgata non est sollicitanda.

V. 17. *hortos* (pro: *agros*) recepit Stat.; nescio qua auctoritate.

V. 18. *flumen Rhenum*] Edd. omnes in hac lectione consentiunt, certe quas ipse vidi. Codd. vero hic fluctuant inter *Rhenum*, *Rhenus* et *Rheni*. *Rhenum* exhibent plurimi Lamb. Cruqu. Pulm. et aliorum cum nostris Vindob. Gott. et sic cum commentat. Cruqu. olim Acr. *Notandum*, inquit, *flumen Rhenum genere neutro;* et Porph. qui hoc habet: *Non dixit genere masculino Rhenus: sed neutro hoc Rhenum, quia hoc est flumen.* Est etiam haec lectio omnium Intpp. suffragiis probata et recepta. Vid. Turneb. XIX, 9. Sed *Rheni* male (esset enim minus poeticum aeque ac *Rhenus*, quod duo Valart. exhibent) quidam Stat. Lamb. duo Pulm. coll. Sax. quinque Valart. duo Mus. Br. ap. Comb. Cod. Vpsal.

V. 19. *Sed nunc non erat his locus.*] Sic constanter Vindob. Gott.; neque aliter legi puto in ceteris, qui adhuc inspecti sunt, Codd. et sic dedit Acr. quocum faciunt edd. Medioll. Venett. omnes praeter 1546. Pinc. Venett. Locher. edd. Lips. praeter 1568. Paris. Ascens. Ald. Venett. Basil. Cur. Lugd. Gryph. Paris. Colin. Henricopet. Paris. ambo. Antwerp. Plantin. et edd. omnes s. l. e. a. quas secuti sunt Landin. Stat. Muret. Ge. Fabric. Ro. Steph. III. Lamb. Cruqu. Chabot. Bersm. Heins. Pet. Nann. T. Faber. Dacer. Desprez. Burm. Talbot. Baxt. Bentl. Sanad. Iones. Gesn. Hurd. Valart. Comb. Regelsb. Haberf. Schelle alii. Sed Ro. Steph. I ed. 1533 dat: *Sed nunc non erat* hic *locus*, quam lect. etiam exhibet Henr. Steph. II ed 1600, nam eiusdem ceterae edd. 1577 1588 tuentur vulgatam, (quare crediderim typographi mendum esse, quod auctoris oculos effugerit) a qua etiam decedit

ed. Rodellii 1686, quae Steph. 1600 sequitur. Venet. 1546 et Colon. Agr. exhibent: *Sed nunc non erit his locus*. At Cun. in ipso textu edidit: *Sed non nunc erat his locus*, quod et vnus Bersm. retinet et Engelius recepit. Satis inconcinne! Vulgata potior. Denique in eodem v. *aut fortasse* pro: *et fortasse* exhibet vnus Bersm. Male.

V. 20. *Scis simulare*.] Ita maxima constantia scripti editique nostri, neque quidquam e suis proferunt Intpp. Acr. et Porph. ductum hoc esse ex antiqua fabella dicunt, quam sic enarrant: *Hoc prouerbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud bene pingere, quam cupressum. Ab hoc naufragus quidam petiuit vt fatum* (male Acr. *vultum*) *suum exprimeret; ille interrogauit, num ex cupresso vellet aliquid adiici? Quod prouerbium Graecis in vsu est*. Hactenus Scholiastae. Cum autem post verba Scholiastarum: *quod prouerbium Graecis in vsu est*, graecae voces desint in omnibus Scholiast. edd., Henr. Steph. II. in scripto suo Scholiasta (de quo disputauit p. 151 ed. tertiae) haec verba addita inuenit: ΜΗΤΙ⋆ΚΙΡΙCON ΘΗΛΕΙC, quam aperte mendosam scripturam vir ille sagacissimus ita correxit: Μήτι καὶ κυπάρισσον θέλεις; Nam vbi asteriscum vides, nota quaedam est, quae (Steph. recte iudicante) idem quod καὶ valet. Ac conuenit haec particula cum eo, quod a Scholiastis scribitur, interrogasse pictorem, *num ex cupresso vellet aliquid adiici?* Si autem Flaccus hoc prouerbium spectat (id quod Scholiast. claris verbis enunciant, de quo tamen dubitat Cruqu. *) quem recte iam reprehendit ideo Henr. Steph. (p. 158 ed. tertiae) fortasse non inepta est lectio, quae et sine ope Cod. qui ap. Barth. Aduers. XLII, 22. laudatur, facile inueniri poterat, neque indigna, quae admittatur:

Vis (θέλεις) *simulare*

quae illi narrationi melius respondet.

exspes.] Grammaticos in verbis cum praepositione *ex* compositis, quorum prima *s* est, illud *s* tanquam super-

*) Cruquii verba sunt haec: *Praeterea non videtur hoc habere adagionis speciem. Non enim cupressus a naufrago lugubri sic est aliena, vt pictorem damnet omnimodae stupiditatis, qui id peccauit tantum, quod naufragum non aduertit et adhuc superesse et aes sibi dare.*

fluum, modo abiecisse, modo, tanquam necessarium, retinuisse constat. Cf. Quinctil. I, 12. Priscian. I. p. 558 ed. Putsch. Vel. Long. p. 2226. Hinc Codd. et edd. vetustae talia verba interdum cum *s* saepissime tamen extrusa litera *s* exhibent, vt in nostro loco illud expes sine *s* (*expes*) ad vnum omnes praeter edd. I. II. s. l. e. a. offerunt. Sed ex vsu et consuetudine plurimorum lapidum, quorum maior quam Codd. esse debet auctoritas, illud *s* in talibus vocabulis seruandum esse recte iam docuit orthographiae latinae peritissimus Cortius ad Sallust. Cat. c. 38. §. 10. Exempla super h. re collecta vid. ap. Cellarium in Orthogr. lat. Tom. I. p. 73 sqq. et p. 231 ed. Harl. quibus adscribas velim nostrum: *exspes*. Hoc autem fugit Bern. Martinum Var. Lect. I, 25. qui dicit *expedem* hic esse *νέποδα*, ore tantum qui exstet, pedibus et reliquo corpore aqua occultato et submerso, quae ridicula est interpretatio! Altera lectio, quam testibus Gesn. et Combio ed. pr. praebet, est: *expers*. Sed haec lectori minime fucum facere poterit. Nam constructio: *expers nauibus fractis* sensum praebet malum; *exspes* h. e. ab omni spe destitutus, vt iam explicatum est a Lochero, bene ille pingi potest.

V. 23. *Denique sit quod vis.*] Sic disiuncte in Codd. Vpsal. Vindob. Gott. recte scriptum, omnesque edd. astipulantur, praeter I. s. l. e. a. quae clare exhibet *quidvis;* quam lect., praeeunte Acr. et tuentur edd. Correae. Vascos. teste Cun. Membranae *quoduis* et *quiduis* praebere videntur. Certe Bentl. in Vig. Bat. et Moreti codd. (quorum tamen auctoritatem aspernatur Baxter!) reperiebat *quiduis*, quam quidem lect. et in suis inuenisse affirmant Stat. et Cun. Tantum autem abest, vt cum Bentl., qui istud: *quiduis* in textum recepit, lect. *quodvis* frigere, in ambignitatem incidere et immodulatum reddere versum contenderim, vt eam pro genuina habere velim. Porro hic vbi poeta ex antecedentibus concludit, minime opus erat, eum in metaphora perseuerare, quod Bentl. vult, cum: *denique sit quiduis* explicat: *denique quiduis sit, amphora, vel vrceus, vel obba, vel cadus, vel dolium; modo vnum sit et simplex.* Nam metaphoram in hoc vsu equidem nullam animaduerti. Ipsa cod. Helmst. lectio: *vis quod* vulgatam tueri videtur. Nolim igitur ob Codd. auctoritatem *quiduis* cum Bentl. Sanad.

Hurd. Siur. Colm. Engel. de Azara, Wakefield. Wetzel. aliisque illi anteferas, pro qua stant Stat. Muret. Ge. Fabric. Ro. I. Henr. II. et Ro. III. Stephh. Lamb. Cruqu. Chabot. Bersm. Heins. Pet. Naun. T. Fab. Dacer. Desprez. Burm. Talbot. Baxt. Iones. Gesn. Valart. Dorigh. Comb. Regelsb. Haberf. et Schelle; cum sensus quidem in vtraque lect. idem sit.

VARIETAS LECTIONIS

IN ARTE POETICA

E CODICE GOTTINGENSI

ENOTATA.

Cod. Gott.	Ed. Bipont.
V. 8. Finguntur	Fingentur.
V. 20. expes	exspes.
V. 36. quam naso viuere prauo	quam prano viuere naso.
V. 42. haud ego fallor	aut ego fallor.
V. 43. Vt nunc iam dicat	Vt iam nunc dicat.
V. 45. 46. suo loco positi.	
V. 49. abdita rerum *et* Fingere	abdita rerum Fingere
V. 53. cadent	cadant
V. 66. Vicinas alit vrbes	Vicinas vrbes alit
V. 76. Post etiam voti inclusa est sententia compos	Post etiam inclusa est voti sententia compos.
V. 116. Feruidus et matrona	Feruidus an matrona.
V. 132. Non circa vilem	Nec circa vilem
V. 133. Nec verbo verbum	Nec verbum verbo
V. 139. Parturient	Parturiunt.
V. 140. qui nihil	qui nil.
V. 161. Imberbis iuuenis	Imberbus iuuenis.
V. 171. Vel res omnes quod timide gelideque ministrat	Vel quod res omnes timide gelideque ministrat.
V. 174. Se puero castigator censorque minorum	Se puero censor castigatorque minorum.
V. 185. Ne pueros	Nec pueros.
V. 196. amice	micis.
V. 202. orichalco iuncta	orichalco vincta.
V. 208. vrbes	vrbem.
V. 214. luxuriem	luxuriam (male)

V. 237. an audax	et audax.
V. 260. cum magno pondere	magno cum pondere.
V. 265. an omnes	vt omnes.
V. 270. At vestri	At nostri.
V. 294. Perfectum	Praesectum.
V. 318. viuas	veras.
V. 336. Ad haec	An haec.
V. 339. Ne quodcunque velit	Nec quodcunque volet.
V. 360. Verum opere in longo	Verum operi longo.
V. 362. capiat	capiet
V. 378. Si paulum summo decessit	Si paulum a summo decessit.
V. 387. Metii	Meti.
V. 410. prosit	possit.
V. 413. Multa fecit tulitque puer	Multu tulit fecitque puer.
V. 414. Venere et Baccho	Venere et vino.
V. 437. fallent	fallant.
V. 443. aut operam insumebat	aut operam sumebat.
V. 458. Sic veluti	Si veluti.
V. 461. Si curet quis opem ferre	Siquis curet opem ferre.

VARIETAS LECTIONIS
IN ARTE POETICA
E COD. VINDOBONENSI
ENOTATA.

Cod. Vindob. *).	Ed. Bipont.
V. 3. collectis	collatis.
V. 4. Reddantur	Reddatur.
V. 25. veri	recti

*) Accuratam h. codicis, Seculo XIII scripti, recensionem alio tempore dare propositum est.

V. 36. quam naso viuere prauo (in margine characteribus latinis scriptum est: *paruo.*)	quam prauo viuere naso.
V. 71. viget vsus	volet vsus
V. 149. Haud	non
V. 161. Inberbis	Imberbus
V. 196. amice	amicis
V. 208. vrbes	vrbem
V. 217. videbo	iubebo
V. 319. iocis	locis
V. 402. Dirceusque	Tyrtaeusque
V. 416. Non	Nunc
V. 435. laborant	laborent
V. 443. insumebat	sumebat
V. 461. Si curet quis	Si quis curet
V. 462. Quid	Qui
V. 470. cum	cur
V. 475. Quem ů *vt* arripuit	Quem vero arripuit.